SOMNIUM VERITATIS

A.E.A.P.

A.P.S.B

SOMNIUM VERITATIS

A. E. A. P.
A. P. S. B.

PANORMI
TYPIS LAURENTII DATO
1816

Lector amice brevis cures reputare libelli
Sensum, non metri, si sunt, insidere mendis.

L' EDITORE A CHI LEGGE.

Ti presento, benigno Lettore, questo breve poema, quanto piccolo di volume, altrettanto grande, pe' sublimi soggetti, di cui tratta. Ti assicuro, che l' autore non è, nè un Ministro del Santuario, che voglia far pompa di sacra erudizione; nettampoco un Frate, che aspiri alla gloria del pergamo; l' è un uomo del secolo, che scrive per fini un pò più depurati.

Temo, che il titolo di Verità, le attiri tutte le persecuzioni, e le satire: tale è stata in ogni tempo la di lei sorte; veritas odium parit; *ma benchè non sia comoda a tutti; e la semplicità di sue fattezze sembri un pò ributtante a chi ha il gusto depravato dalle puzzolenti cipolle egizie; e che ammaliati dalla solleticante apparenza della impostura, si attengono soltanto ad una luminosa superficie d' una bassa meteora, perchè lusinga i sensi; non mancano però de' soggetti, che la ricerchino, o gustino il dolce massiccio, che in se contiene;*

e che se talvolta, cedendo alle umane vicende, facciano servire l' impostura ai loro interessi, non abbiano per lei il dovuto interno disprezzo ed orrore, al chiarore di quella luce divina, che nostro malgrado sempre scintilla agli occhi del nostro cuore, che può ben essere offuscata dal tetro fumo delle più vili passioni; ma non giammai del tutto estinta. Mi lusingo che la curiosità vi porterà a leggerlo, contento di mie fatiche nell' imprimerlo, se avrò la sorte d' aver datu alla Grazia un arma per fare almeno una sola conquista, che nella presente epoca potrà dirsi un vero miracolo. Vivi felice.

SOMNIUM VERITATIS.

Nox erat, et rutilis pallens jam cingitur Astris,
Fessaque continuo motu natura silebat:
Cuncta latent oculis tetra caligine densa:
Irrigat et somnus torpens per membra quietem
Languidus, et passim nutantia lumina condit:
Mens autem vigilans, larvis agitata, per astra;
Per mare, per terras spatians... me vexit ad Orcum
Stix lacus est vasto tenebroso immanis hiatu
Fumiferum volvens picis inter sulphura limum:
Horrendi strident, versantque volumine terga
Æternum angues, et stridentia sibila mittunt:
Monstrificus vultus variarum spectra ferarum...
Intremui... gelidoque comæ terrore rigebant...
» Centauri in foribus stabulant, Scillæque biformes
» Et centumgeminus Briareus, ac Bellua Lernæ
» Horrendum stridens, flammisque armata Chimera:
» Gorgones, Harpyæque, et forma tricorporis umbræ
Hos Satanæ socios, de Cælo sædibus imis
Detrusit subito vesana superbia victos,
Nomen eis merito sic turpe dedere Poetæ.
» Hi genus antiquum terræ Titania pubes
» Fulmine dejecti fundo volvuntur in imo.

» Hi sunt qui manibus magnum rescindere cælum
» Agressi; Superisque Jovem detrudere regnis,
Et tumidus Ductor spatians elatus Olimpo
Ibat ovans; divumque sibi poscebat honorem:
Atque thronum cupiens (demens)! conscendere celsi
Permultos secum traxit simul ipse rebelles.
» At Pater Omnipotens densa inter nubila telum
» Torsit: præcipitemque immani turbine adegit...
Dum limen tento trepidans, et lumina volvo,
Hoc plane vidi scriptum, sic poste supremo ...
» Quisquis es, Inferni qui ferrea limina tangis
Non revocare gradus, non spes datur ulla regressus:
Atra lacus stigii non est remeabilis unda »
Semper, et hinc nunquam: Duo sunt vocabula
Tartareæ sedis lustrans penetralia nigra (stemma
Ignea, sulphureo piceis vallata cavernis
Tartarei fluctus piceum volvuntur in orbem:
Ut nix e cælo, brumali tempore præceps
Irruit in terras, jugi lapsuque frequenti,
Non alias ferme rauco stridore perenni,
Labitur ingentis truculenta caterva scelestum.
Quis poterit, pariter si duro pectore sævus,
Illius orribilis, qui scribitur incola Regni,
Æternos, dirosque simul numerare dolores?
Non simili flagro, merito, torquentur iniqui;

Par, recte culpæ condigne pæna refertur...
En gelidus sanguis trepidantia conficit ossa,
Crura labant, titubantque pedes; caligine tetra
Cæcigenas oculus... robur... præcordia languent...
Innumeri, innumeris, cæca cruciantur abysso,
Temporis æterni, quæ vexant pondere pænis.
» Hinc exaudiri gemitus et sæva sonare
» Verbera; tum stridor ferri; tractæque catenæ.
Urgentur pænis, ascendit plangor ad auras.
Illic nulla quies: geminat supplicia tortor,
Ignibus exusti gelido cum frigore torpent.
Quis valet ardorem, meditans cognoscere flammæ?
Continet hæc pariter saliens tormenta Gehennæ.
Intonat horrisonis ululatibus atra vorago,
Audítæque ferum luctum resonare cavernæ.
Si videas forsan spumantum claustra ferarum,
Et tumidas rabie vinctas mordere catenas,
Discissos nudis laniantes dentibus artus.
Barbarus immanis, quisquis fuit orbe Tyrannus.
Dirus; cædis amans; truculentus; sanguigne gaudens
Corpora discrucians; atrox speculator adesset:
Non licet his levibus, conferre æterna caducis.
Spiritus aut Cæli... non mens humana valebit
Ignis; et æterni; nomen novisse tyranni.
Mole sua gravitant semper si corpora ad imum,

Jugiter, et quærunt proprio consistere centro;
Quot miseros vidi saxoso monte gravatos
Pondere compressos demitti ad centra profundi;
Semper agi in præceps frustraque requirere centrum
Ignibus appensi... nec posse quiescere terra!...
Hæc aliis pænis cumulans, est maxima sensus.
Si Deus est summus, majestas summaque, recte.
In summo summam pænam sic culpa meretur.
Numen et æternum non est qui noscere possit,
Ipsius atque iram pariter comprendere nemo.
Mortales vitam in tenebris, luctuque trahentes,
Deliciis molles, quos frangit falsa voluptas,
Nec reamare Deum, nec recte noscere curant:
Tartareas valles tandem stygiamque paludem
Ingressis; pota lethei fluminis unda,
Clarescent miseris, succumbere nescia somno,
Lumina; sero Deum; quæ tandem noscere discent.
Sævus adest illis; mulctans, turgensque furore:
Respiciunt longe cælum, cæloque beatos.
Alma quibus requies, rutilans, et lumen in ævum;
Gaudent; sepositisque, agitant nova gaudia, curis.
Heu miseros! jam nil cruciatus corpora ducnnt:
Maximus hic luctus... mæror ... cruciatus acerbus,
Omnes, qui superat, tristes sine fine dolores;
Ut nihilo major summus sine fine creator.

Sero Deum querunt: Vindex Deus ipse repellit:
Ad cælum tendunt; et cælum fulmina mittit:
Heu furor: Heu rabies! sic amisisse proterve
Pro nihilo, Cælum, festivaque gaudia patris,
Pro celeri *istanti*, per sæcula cuncta perenne ...
Si sponsus sponsæ tanto nunc fertur amore
Alter ut alterutrum vix non patiatur abesse:
Si dira natis rapiuntur morte parentes,
Pectore dissiliunt immenso corda dolore,
Solis ab occasu, solis nec rursus ad ortum
Non cessant diro fletu simul ora rigare.
Funere, vel simili casu, si contigit unquam:
Divelli penitus, quam deperiebat amantem;
Discissumque cor in partes, pariterque videtur:
Non aliter, Cæli quam si foret ignibus ictus,
Sic stupidus vivit, si vitæ nescius esset.
Currit, et hinc illuc furiis agitatus Orestis:
Clamitat, et valles (demens)! ululatibus implet;
Cum gemitu roboant silvæ, tum personat antrum...
Mox tacitus sidit ... lacrimoso flumine vultum
Irrigat; et reputans turbata mente recurrit ...
Quo simul incessus gaudens;...loca...tempora...sedes.
Hic erat ... atque alterno solabamur amore;
Et mecum spatians silvis, stans margine rivi,
Et croceis florum cingebat tempora sertis;

Dulciter, et dictis relevans fastidia mentis...
Eripuit sese oculis, tristemque reliquit...
Non est! Non rediet! Quis det si visere tantum?...
Mors properata nimis: crudelis: surda: minaxque:
Quid non extinguis, pariter cum luce dolorem?...
Quæ vos mortales! Quid sic dementia cepit?
Fæmina, quæ cultu concinno pulchra videtur,
Fætida pestiferis confertaque sordibus intus
Viva manens, moriens avidis et vermibus esca
Afficit hoc luctu? tanto ne agitatque furore?
Quis dolor est similis? Vel quis perpendere posset
Quam gravis est animæ, quæ sic orbata parente.
Se videt expulsam; *sine spe*, per sæcula cuncta?
Sunt homines sacræ Divinæ mentis imago.
Fons, et origo boni Deus est, finisque supremus.
Ens hominum Genitor; . . . . .
Ad cælum tendunt per multa pericula rerum.
Propter mortales radiantia sidera, Phæbum,
Ex nihilo eduxit; Cælorum tecta suprema
Instruit Omnipotens, sicut Dux agmina multa.
Fertilis, et Dives tellus circumdata Ponto,
Arboribus confecta, ferax felicibus herbis...
Quodquod producens animal; genus omne ferarum.
Dulcia cernuntur redolentia pendula ramis,
Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma.

Omnia deliciis hominum largitus abunde...
Quid dicam? præ se oculis! sed non pro corpore tantum
Corpora sunt animæ (metuendaque vincula) grandis
Luminibus tacitis mirans, et cuncta pererrans
In quibus ut possit dextram cognoscere Patris,
Diligat, et servans, quæ mandans æqua voluntas,
Denique sidereas valeat conscendere sedes.
Ah! miser elatus, falso seductus ab angue
Detruso cælis, caleat vestigia cæcus,
Sic amens sequitur tumefactus corda rebellem.
Perdidit, infelix! secum genus omne futurum:
In quo productus, Paradisi limine pulsus,
Non erit effossam terram sudore rigasse
Par culpæ flagrum; sed mors properata sequetur,
Calcibus, et urgens pes; corruat usque sepulcro.
Quot mala! quot clades! quot sunt letalia morbi
Agmina! inane gemunt homines, mittuntque querelas
Conditor, at miserans, nec tandem viscera Patris
Oblitus, summa cæli demist ab arce
Æternam sobolem, quæ par substantia Patris
Ipse Deus pariter, descendit missus ab alto.
In mundum hic venit, mundus nec noscere curat...
Admonet ignaros, sic dulciter arguit omnes;
Infirmos sanat; cæcis quoque lumina reddit;
Quatriduo surgunt etiam jam funere ducti;

Languentes tollit; cunctis benefecit eundo;
Et mitis, clemens, et si Deus ipse; superbos
Instruit exemplo, quo se cognoscere possint.
Subsequitur grandis numerus; sed parvulus æque
Grex docilis verax, qui servat verba magistri.
Innumeros homines vesana superbia tollit,
Compellens, verum nudans; odisse furentes:
Impulsos jam limphatæ violentia mentis,
Composito et sævos mortem livore petentes.
Ipse volens hominum patri persolvere probra
Seque libens manibus quærentum tradidit ipsum.
Sanguinis, et sudor primo decurrit agone.
Sustinet, et patiens alapasque flagellaque, spinas,
Irrisusque silet, sic ferme mitis ut agnus;
Bajulat atque Crucem; perterrita golgotha frendet:
Est Deus, est Christus Rex, qui cruce pendet ab alta.
Atque etiam pendens, cruce fixus, vota ferebat
Excusans homines, Patrem pulsansque benigne
Parceret ipse hosti moritur; cælumque recludit...
Terra tremit trepidans; Orbus sol lumine, spargit
Undique nocturnas, horrentes atque tenebras:
Et velum Templi; discissaque saxa ruebant
Ex imo penitus; spectans natura fremebat.
Obstupeant Cœli! conterrita cunta pavescat
Mens hominum trepidans, mortem gustasse cruentam

Qui Deus est hominum, cæli, rerumque Creator;
Sternitur en! satanæ devicta superbia prorsus.
Solus homo nescit turgens inflectere collum!
Christus et imperio Patris nec morte recusat
Impia dirorum sic flagra subire nocentum
Ingrati! stupidi mortales! terque scelesti!
Non vos dilectus, mitis Pater, atque Creator...
Sanguine perfusus; non mollit corda Redemptor!
Discerptæ silices: vestrum cor durius illis!
Ignis amor Patris; Christi non viscera fllectunt!
Non calet hoc nondum? cruciabitur igne perenni:
Non est flagitiis compar pæna ista merenti.
Scit figulus noster, quæ sit substantia carnis,
Primævi culpa quæ jam vitiata parentis
Corruit in pejus: superatque animalia bruta;
Instituit miserans, sic et medicamina sacra,
Sanguine servator; Divina carne deditque
Vesci; velatumque cibo sic sumere Numen;
Quod satis est, hostes possint superare superbos,
Qui pugnare velint, optatam, et carpere palmam.
Ultra quid potuit Dominus facessere clemens?
Sponte sua quisquis se damnas, atque volensque
Viva fides Erebo: restinguitur hæresis igne.
Lubricus est cunctis nimium descensus Averni,
Turmatim, tanquam pecudes, rapiuntur iniquo

Exemplo stulti; numerus sine finibus extat.
Faemina quæ fastu pulchram, numenque putabat
Vana suis ocnlis, multis et amantibus esse:
Quomodo(væ!) capiti se torquent anguibus angues,
Fædaque deformis cruciatur sulphure, et igne!
Ille potens grandis, torquebitur atque potenter.
Injustus Judex qui non Jove judicat æquo:
Quique forum tractant omnes, pariterque ministri,
Versuti spoliant, et calliditate clientes...
Præsbiter indignus divino sanguine manans:
Furtorum, infandæ venerisque ardore furentes:
Impurus mollis, turpique libidine captus;
Noctivagus, petulans, fallax, obscænus adulter...
Non cadit in mentem, quam sint tormenta severa
Horum; quotque modis sæve lacerare videbam:
Infandus; dirus; qui præbuit ille venenum...
Improbus; immanis; feriens homicida cruentus...
Impius, et latro; prædo; raptorque sclestus...
Callidus, insomnis, fallax mercator iniquus,
Qui pretio summo, studuit divendere merces...
Artificum magnus numerus, et magna caterva
Fraudibus intenti plus quam non artibus apti...
Insignis Pictor clarus, Sculptorque peritus,
Obscenas doctus statuas, animare figuras,
Scandala, et Æternum, qui sic dimisit inævum

Plures sic mactans animas quam corpora ferro
» Adstrictus silici ferrato compede corpus
» Porrigitur: rostroque immanis vultur adunco
» Immortale jecur tundens; Fæcundaque pænis
» Viscera; rimaturque epulis, habitatque sub alto
» Pectore: nec fibris requies datur ulla renatis.
» Quid memorem lapithas, Ixiona, Piritoumque?
» Quos super astra silex jam jam lapsura cadenti
» Imminet adsimilis: lucent genialibus altis
» Aurea fulcra toris; epulæque ante ora paratæ
» Regifico luxu: furiarum maxima juxta
» Accubat, et manibus prohibet contingere mensas
» Exurgitque, facem attollens, atque intonat ore.
» Hic, quibus invisi fratres dum vita manebat;
» Pulsatusve parens, et fraus innexa clienti:
» Aut qui divitiis soli incumbuere repertis
» Nec partem posuere suis *(quæ maxima turba est)*
» Quique ob adulterium cæsi; quique arma sequuti
» Impia; nec veriti Dominorum fallere dextras,
» Inclusi pænam expectant; nec quære doceri
» Quam pænam, aut quæ forma viros, fortunave mersit
» Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum
» Districti pendent; sedet æternumque sedebit
» Infelix Theseus: phlegyasque miserrimus, omnes
» Admonet, et magna testatur voce per umbras.

» *Discite justitiam moniti, et non temnere divos...*
» Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
» Imposuit: fixit leges pretio, atque refixit.
» Hic Thalamum invasit natæ, vetitosque hymenæos.
» Ausi omnes immane nefas; ausoque potiti ...
» Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
» Ferrea vox; omnes scelerum comprendere formas;
» Omnia pænarum percurrere nomina possem ...
» Hos juxta; falso damnati crimine mortis;
» Proxima deinde tenent mæsti loca, qui sibi lethum
» Insontes peperere manu, lucemque perosi
» Projecere animas... Quam vellent æthere in alto
» Nunc et pauperiem, et duros perferre labores!
» Fata obstant; tristisque palus, innabilis unda
» Alligat, et novies stix interfusa coercet.
» Nec procul hinc, partem fusi mostrantur in omnem
» Lugentes campi: sic illos nomine dicunt.
» Hic, quos durus amor crudeli tabe peremit
» Secreti cælant calles; et Myrtea circum
» Silva tegit; curæ non ipsa in morte relinquunt.
Mantua quem genuit, quis possit credere, vatem
Ethnicus an fuerit? fictis describere verum?
Quisquis erat doctus, sapiens, et mente sagaci
Æternam rerum seriem cognovit, et artem.
Et volvens etiam quæcumque volumina sacra

Edidicit, sancti quot quot cecinere Prophetæ.
Divitiis locuples positis in fænore nummis
Semper inops; multo congesto pauper in auro,
Qui cumulat pariter quo plusque pecunia crescit,
Quærit, et inventis opibus miser abstinet ægre.
Sordidus, insomnis, languens, et semper avarus,
Parcus, inexpletus, vilis, patiensque laborum,
Multa movet animo pallens, et mente revolvit
Perminimi tantum, si possit carpere lucri,
Parcere nec sacris curat, non atque profanis.
Barbarus; immitis; truculentus; durus; et acris
Aurum quo rapiat nec ulla repagula sanguis,
Terraque, non cælum, non hæc objecit abyssus,
Innatat hic auro fervens, liquidumque ministrant
Faucibus; exhaurit; sitiens nec desinit esse...
Dum pavidus miror! clamans miser ille fremebat
Væ mihi! quid profuit tantos cumulasse sceleste
Thæsauros, si præcox nex mihi surripit illos?
Heu poteram demens! tunc arce recondere cæli
Pauperibus tradens, alienis reddere rapta!
Nunc bona, quæ tanto carpsi, miserande, labore
Rapta meis manibus, discerpunt illa nepotes;
Qui jam certatim celebrant nova gaudia plausu,
Tarda suis votis, quæsita morte quotannis...
Heu furor! heu nigro rabies armata veneno!

Hic jam recta fides tandem experrecta sopore
Me docet; (incassum) quod prave divitis aurum
Ut rapidus fumus celer evanescit in auras:
Si saperent illi, citius male parta relicta
A bene quæsitis divellere; reddere cunctis;
Nec mea calcarent agiles vestigia stulti,
Hi pariter lapsi cocyti sedibus imis
Non mea nunc premerent æterno pondere terga;
Pectore figentes, miseri, nova tela cruento.
Si quis commiserans, fraterno ductus amore,
(Quo nunquam flagrans ego) verax ille referret...
Effingis larvas dicent; et somnia demens;...
Et stantes risu stulte laxare labella,
Affectum flagris, trepidumque timore sequentur...
Territus at passim lustrans penetralia nigra
Protinus auditur murmur, clamosus et horror;
Percutit et mea lumina jam spatiosa platea:
Fæmineus numerus numerum superabat arenæ.
Pestiferum, turpes, fædum mittebat odorem
Spectantis turmæ diræ ludibria portant:
Maxima tortorum pars, crudelisque ministrat,
Quæ nec longa dies, pietas nec mitigat ulla,
Debita flagra viris, dura et tormenta scelestum,
Illas quae superant specie, gravitate virorum.
Commiserans, dixi cur vos sic tanta subitis?

Ardentes furiis, clamant, heu, sero fatemur...
Luxurias, studiumque comae, lascivia, fastus...
Obscaenae vestes, olim queis membra procaces
Raris heu velis perlucida prorsus habentes,
Arte stigis; rabidi satanæ, sic vota dolosae
Implentes, traheremus quosque libìdine captos.
Erubuit sol, cum sic membra dicata pudori
Ipse fuit radiis, nolens, reserare coactus.
Nos populos omnes nigro detrudimus orco...
Nos satanae fuimus turpes, faedaeque ministrae;
Illius, et regni confinia quaeque repleri.
Istud ad exemplum natae, mollesque; laborant
Infèsso studio; jam jam miserasque sequentur...
Clamant... et diris resonant ululatibus antra.
Multas vidi alias, praeclara stirpe creatas,
Numina, quas reputans, mundus veneratur adorans,
Permixtas vili turmae; maledictaque ferre
Dum saevit crucians immanis tortor averni;
Jugiter insultat deridens arbiter orci:
Illarum clamor, resonantia murmura terrent...
Obstrepuere simul fremitu stigii antra draconis
Atque excussa tremunt . . . .
Nuntius en referat, caelo demissus ab alto,
Ferratas vectes putei, qui dictus, abyssi:
Protinus horrisono stridentes cardine nigræ

Panduntur portæ ; subito terrore rigentes
Utque tremenda dies perituro illuxerit orbi ,
Judicis adque thronum trepidantes cogeret illos,
Flamma vorax, ardens , vivax , penetrabilis ignis
Crudeles pænæ , luctus , tormenta dolores
Hæc leviora putant , stantes discrimine sævo.....
Claviger at clamans iterata voce tonanti
Surge satan fallax , subito, stygiasque phalanges
Instrue festinus, superasque evadere ad auras ;
Crimina dedignans Dominus ; qui concitus ira
Exurgens vindex bellum commisit iniquis;
Et tibi dimittet cunctos laniare scelestos.
Protinus (horrendum visu) cum sulphure fumus
Ascendit vehemens , sicut fornace repulsus ;
Ætnæi montis summo de culmine ad auras
Dæmonas in medio egressos , formaque locustas;
Ex fumo tenebras , orbatus lumine Phæbus .
»Non mihi si linguæ centum sint oraque centum
Fas erit ingentes fremitus strepitusque referre
Vallatus furiis satanas , stigiæque catervæ
Quos ferrent; pavidus dum subsequor ipse furentes
Trinacriam primum; quæ non minus impia cunctis
Multa volutantes meditantur perdere prompti .
Immaculata Dei Mater sine labe , draconem
Quæ radians virgo primo calcavit ab ortu ,

Cælicolum Regina potens vallata corona
Obvia percurrens sternit quæ calce trementem
Finibus extrudit; sed sordida Gallia, (fædus
Antiquum memorans) dire siculosque minantem
Se forsan tandem cursus iterare relictos)
Francigenæ Princeps populosa lutetia gentis
Suscepit stygios, ponentes horrida castra....
Veraque nunc pando, non est hæc docta fabella.
Exulis insignis sacri, dic Patmia Tellus
Hospita, quid scripsit, quæ Deus ipse revelat?
Quæ vidit dudum purus, veraxque Joannes,
Postmodo; quo factum; subito monstratur eodem
Tempore, non tenebris, sed jam careque, palamque
Insigni pietate viro, qui sacra ferebat,
Sat notus Siculis: quos jam ventura monebat.....
Impius an credit? firmat præsagia verum:
Et placeat superis ne quæ pejora sequantur....
Lucifer; Asmodeus; Behemot, Belzembucque; Laba-
Asmodeo junctus Leviatan, atque malignus;(don
Conciliumque vocat Satanas faciuntque coronam
Tartarei proceres, varia atque bicornia Monstra
Conveniunt, primasque tenent Junonis avernæ
Ultrices famulæ, sævi ditisque ministræ
Tisiphone, tristisque soror, furibunda Megæra:
Stantque Styges taciti; fervens ad prælia prontus

Miles ut expectat signum committere pugnam ;
Sic fatur tandem stygiis qui præsidet umbris:
Excelsi, primique duces, nos sedibus imis
Turpiter expulsi summo de cardine cæli
Prima Dei soboles, memores genus esse tonantis,
Nobilius cunctis; stupidi patiemur ut illa
Nos mulier pedibus calcet, sic læta triumpho?
Quæque Dei genitrix hominum tutrixque, parens-
E limo putridos vermes super astra reponat! (quo
Sedibus et nostris? ......
Infandum vindicta jubet renovare dolorem .....
Turpis at Asmodeus, surgens jam multa furentem
His lenit dictis; ne sævi: Gallia; Princeps;
Perfida, Vana, levis, fallax, lasciva, bilinguis,
Fraudibus acta meis totum corruperat orbem
Obscæno fastu, scriptis; quibus ipsa perempta
Intemerata fides, rectus cultusque tonantis.
Hoc opus; hic furiis labor est, facilisque sequetur.
Exagitata prius flammis, corruptaque regna
Invadet subito, crepitans, penetrabilis ingens
Omnia consumens late, et spatiabitur ignis.
Tertia pars hominum, toto dispersa per orbem
Perdita, jam nostris jo! designata triumphis......
Restitit Asmodeus .... francorum pectora fæda,
Invaduntque styges, furiisque agitata patrare

Compellunt; numquam quæ trux sic pessima tigris,
Ullaque non ætas, non ullaque sæcula norunt.
Non parcunt sacris, non parcunt atque profanis,
Alter in alterius grassatur sanguine civis,
Conditio; sexus, non ætas ponere metam
His potuere viris; (si dicas facta virorum)
Demonis aut potius, cui ipsi sunt corpore juncti.
Prælia quis poterit; clades, certamina; pugnas
Scribere, vel tumidas effusi sanguinis undas?
Quis memoret sævas cædes; quis facta tyranni
Effera? (prima tamen messis fæcunda) superbus
Quam satanas gaudens, lætansque ad tartara mittit.
Extollensque caput, cernens confinia regna;
It celer innumeras optatas carpere prædas.
En veluti quondam Cyclopum effervere in agros
» Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam,
» Flammarumque globos, liquefactaque volvere saxa,
» Aut violentus aquis lapsis torrentibus amnis
» Proluit insano contorquens vortice silvas,
» Cum stabulis armenta tulit, camposque per omnes
» Labitur exundans......
Non alias igitur stygiorum magna caterva
Irruit hesperiam; latium taurinaque tecta.
Armorum sonitum toto Germania cælo
Audiit, et Belgæ; Cimbri, gelidique Arimaspi:

Ultima (quis credat) stupefacta America resistit
Sanguine terra rubet; dejecto tingitur æquor,
Amnis, et effusus glomerans, et sanguicis undas
Ignis, et excidio, tum ferri corpora murum
Opponunt hosti: sociosque perempta tuentur.
Millia quot vidi dilapsa cadavera, cursum
Fluminis obstruere, et praebentia piscibus escam!
Pallentes absumit edax penetrabilis ignis,
Innumeros homines, cædit ferrumque simulque;
»Et metus et malesuada fames, et turpis egestas
Frigore concreti pereunt (miserabile dictu)
Turmatimque petunt tenebrosi limen averni.
Exultat gaudiis satanas spolia ampla cruenta
Cernens, horrendum clamans, ad tartara trudit.
Si ruerent montes, si fractus labitur orbis
Non sic terrificus rumor tunc frangeret aures....
Excutior somno.... nutantia lumina volvens
Hinc illinc stupidus, tetra formidine pressus
Deposui lassos æstu fervente lacertos;
Et gelidus sudor torpens simul ora rigabat....
Quæ videre oculi semper præsentia credunt....
Nec video quidquam, nec vox ferit amplius aures....
Transiliere dies, sic vitæ nescius usque
Non pauci, cunctos subito terrore fatigans
Qui me cernebant, solo aspectuque fugati.....

Ut placuit superis; tetra formidine lapsa;
Quæ vidi dudum; non horrens; scribere mandant.
Si paulus vivens superas evectus ad aulas,
Quæ vidit; sensit; nequiens expromere prorsus;
Non mihi fas audita loqui, non verba supersunt
Dixit, non hominum mentes, stupefactaque corda,
Est Deus in cælis qui propria dona coronat,
Cum reddit justos; jo! terque quaterque beatos,
Gaudia multiplicans, propria satietate perenni.
Sed quid ego haud Paulus doctor facundus, et ardens?
Difficiles dans ore sonos, balbasque loquelas,
Inscius; aut saltem sciolus; quid dicere possem,
Quæ manus, apposite depingere docta tabellas
Horrendos nimium, pollens aptare colores
Tartareæ sedi; mentis sensusque dolori?
Ignis et æterni; moles, quæ ponderat illos
Integra, momento quovis, pariterque, simulque?
Ipse Deus crucians, vindex accendit, et afflat
Asper inextinctos stygiis et sedibus ignes,
Quas Deus Æternus trux; iracundia metas
Æstus habet flagrans; sequitur violentia compar.
Discite justitiam, Populi, Dominumque timete....
Me miserum! quam rari sunt qui discere curant
Perpetuum, Durumque ignem evitare perennem!
Nomen, et inferni deridunt atque tenaces.

Infelix! credit tandem cum traditus igni.
Sic rari fugiunt; excussæ fructus olivæ
Non secus ac rarus remanet suspensus in altis
Palladiis ramis; vix ut quis cernere possit.
Innumeras spicas curvatus messor acervat;
Rara fugit pariter, misero carpenda relicta.
Vinea luxurians millenis curva racemis,
Effugiunt pauci, cum scindit vinitor uvas...
Quam patula est via, quæ cunctos deducit ad orcum
Qua fatue currit turmatim magna caterva!
Arctaque sic via, cælorum quæ vectat ad aulas;
Et perquam pauci fortes transire laborant!
Heu! miseri! Veteres sacrosque revolvite libros,
Quæ toties repetita haud Christus desinit unquam
Millenis vicibus passim, turbasque docere.
Tempora, dum simulans, patiens concedit amicus,
Crimina nos lacrymis curemus tergere prontis.
Mors sequitur quemquam pallens, et calcibus urget,
Sæpe inopina ferit... quæ nos dementia cepit?
Irascens mulier, vel inexorabilis acer
Si vos dimissos penitus propulsat amantes
O furor! o luctus! quæ desperatio vecors!
Multos durus amor crudeli tabe peredit.
Nonnulli ferro, vel se occidere veneno...:
Plus agit (o facinus) stultos muliercula fœtens

Quam Deus iratus , qui nos dimittit in aevum?
Irriguus fons lætitiæ, dulcisque perennis
Æquatus Carni ! quis carnem comparet olli!....
Æquatus! stulte miserum !
(Da veniam nimium, Domine, indulsisse scelestis)
Spretus, et abjectus; multis renegatus, et ultra ....,
Turpiter ignari ; verbis, factisque fatentur ;
Obscænas; turpes ,dicunt dum Numina, Mæchas;
Et pedibus scorti prostrati ; carnis iniquis
Idolis cultum præstant, et more ferino
Ignibus exusti Veneris, dant vota precesque.
Non ego (si dicas) rigidus censorque severus;
Concilio Pàtrum , scriptis firmatur et ore.
Heu scelus infandum! turpes (heu tempora) mores?
Nunc Idololatria jacet ? nunc numina squallent?
An potiusque vigent, credenti, cultaque plusquam
Ethnico ea an fuerint , si prisca volumina volvas?
At revocare gradus, carnisque requirere primam
Fædam, progeniemque juvat quæ condita limo.
Ex nihilo deforme chaos, confusaque massa
Vix Pater Omnipotens jussit sique ora resolvit
Prodiit obscuris moles vallata tenebris;
Quæ rudis,informisque manens, non ordine fulgens
Pondus iners, auraque vacans; elementa latebant
Attamen in massa ; cunctarum semina rerum;

Spiritus at Domini spatians super æquora multa
Omnia divisit, disponens ordine miro . . .
Cælumque et stellas. majoraque sidera cælo
Emensura ; locat rutilantia, tempora, et annos ;
Hinc primum nova lux oculis effulsit, et ingens.
Sunt elementa quidem, disjunctaque, mixtaque (cuncta
Corpora quæque creant, promunt, delentque rotando:
Quamquam mutatis pereant, redeantque figuris;
Usque tamen sese æterna jam lege propagant.
Omnibus ast istis præclarus præsidet ignis
Princeps ; qui vitam, motum, pondusque, figuras
Corporibus cunctis fervescens atque reclusus,
Jugiter, et præbet; breviter producta resolvit.
Ignis inest salis en terræ, sub tegmine tectus ;
Ignis enim sal est, irretitusque liquore,
Quo, variisque modis, visibile quodque creatur.
Audistin Christum? nihil ultra terra valebit
Ni conculcetur. Si sal vanescit in auras,
Quoque(sophis noto)miracula quæque patrarunt.
Aspice quæque sui generis redolentia poma
Ortaque vix, putrent, vis nec non turpis odoris
Excitat, et nares prave, stomacumque revolvit
Non secus (at pejus) quæ carnis corpora cuncta,
Mole vigent . . . . . . ! .

Sperma sibi fætens extans illustris origo.
Stans utero clausum vallatum stercore circum
Nutritur germen, diri semenque veneni
Inclusum venis letho simul efflat ad auras
Æthereas veniens primas vix lucis in auras
Apparet fædis velatus sordidus infans;
Volvitur et cæno constrictus et ubera sugens
Inclusum in varias lethèum virus et acre
Erumpit morbos: non sic numerare valebis.
Pustula; pus, fætor, vermes qui viscera rodunt
Nec non viventis.,..
Vix puer; en juvenis; jam dudum factus adultus
Crescit; decrescitque simul quocumque fugaci
Momento, et cursu celeri rapidoque senescit;
Sedibus et fixis nunquam remanere videbis.
Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis...
Qua flagrans (demens) formoso flore juventæ,
Protinus exhorrens rapido squalore senectæ
Sectanctem fugiens, et tu stomacaris amatam.
Tempora momentis vibrati fulguris instar,
Ut rapidus præceps amnis collapsa (nec hærent)
Hanc fragilem vitam, nullo remorante, metantur.
Devorat instantem novus instans, sicque sequentes·
Hæccine vita potest dici? quam mortis imago
Aut potius? rapido momento disperit omnis

Temporis amissi pars; et sic quæque voluptas;
Cum fugitiva nos sine jam dilabimur illa!
Omnia, mitescens Dominus, cur morte replevit?
Mane micans surgit sol, sero conditur undis ....
Diffluit, et currens amnis, sic missa sagitta ....
Flos videt auroram nitidus, noctuque fatiscit ...
Herba virens hodie; cras arens uritur igne ....
Vere novo lætis decoratur floribus arbos;
Atque virent fruges; Æstu flavescit arista,
Area sic recipit succisas falce recurva ....
Fructibus autumno spoliatur frondibus arbos...
Deficiens oleo restinguitur ipsa lucerna ....
Exuvia mortis sunt potus, vestis; et esca ....
Sol oritur; surgis; breviter nox lumina condit....
» Stulte quid est somnus gelidæ nisi mortis imago?
Ægrorum sedes; penetralia tristia morbi;
Quæque, nec immerito, crudelis regia luctus,
Deprecor, i supplex spatians, i, visere tantum.
Sed limen tentans, nares oblinere aceto
Cures, namque illinc exhalat opaca mephitis
Hic jacet afflictus, febri confectus, et ardens ....
Hic pallens languore macer, jam proximus orco ...
Alter tabifico respergitur ulcere lepræ;
Ossa minutatim morbo collapsa trahendo ....
Ille miser putridus defuncto in corpore vivit ...

Ast alius sanieque scatens, et vulnere fracta,
Territus, exhorret obscæna liquescere membra....
Hunc mutilat ferrum; flamma crepitante cremari
Videris hic alium; late, gemitusque sonare....
Hinc dolor; hinc luctus; hic et fera parca recidit....
Credideris sedes tenebrosi limen averni....
Aspice non paucos mortis sub agone jacere,
Extinctis oculis, gelido sudore madentes....
Fortes et multos primævo flore juventæ
» Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo....
Surgite, jam mecum; stant corpora tecta sepulcro,
Tollamus marmor; remanet nunc visere functos
Obstruitis nares? surgit nam fætor averni,
Exitio multis! fugientes sistite gressus.
Exhorrens oculos funesta cadavera lustret....
Undique putredo; vermes; et fætida labes....
Fædaque nigra lues; corruptaque membra videntur...
Ossa; cinis fædus; turpis; calvaria sicca....
Illa jacens projecta solo formosa puella,
Quæ nuper fato cessit? vix noscere possis,
Cui decus egregium resplendens ore venusto.
Et crines flavos, et membra decora juventæ.
Quæ nitidumque caput studiosa compserat arte,
Concinno incedens cultu, fastuque superbo!
Nectareoque cibo nunquam contenta suavi,

Plumatoque trahens torpentia somnia lecto;
Turpius ac penitus sic immutata figura?
Candida nunc facies tetra nigredine fusca....
Tabidicis rimis sanieque manante dehiscit....
Vermibus ebullit naris; sic lumina vermes
Estincta effodiunt; fuerant fulgentia quondam ....
Os patulum spumans fædo putrique cruore ....
Et pectus tumidum corrupta tabe liquescit....
Putrida viventis fuerint quid? Viscera dixi;
Inspice, jam fugiens, quid sint tumulata sepulchro
Viscera! quid superest! at non (miserabile visu)
Ferre potest quisquam; stygius nos fumus averni
Terribili fætore ferit........ fugiamus amici,
Ne perimat sordens, obscænaque mortua vivos ....
Hæc speciosa caro! Stulti nec quærere cessant?
Nutritus croceis; amplexus stercora fæda!
Ignaris scribo; sunt hæc jam trita scienti:
Sanguine non raro tamen, et se carne volutant
Nec doctrina suos, non ulla scientia mores
Immutare valet; nedum cohibere scientes.
Igne, nec inficior, natura quæque creari,
Omnibus atque cibis quem solers indidit ignis
Visceribus clausus fervens excluditur æstu.
At ni sorde carens, fulgens irretiat humor
Protinus; unde venit; fugiens evadit in auras

Labilis ac hominis sidens in vertice summo
Lumina pervadit potior, sic lumina dicta
Inde ferit mulier; fit saucia faemina fracto
Imbellique viro; sic ignis, et appetit ignem....
Si sapiat, vitet, simulac adoleverit etas.
Sobrius atque cibos carpens, fugiensque liquores,
Flamma quibus latitans; hinc est evadere virtus.
Prima, lapis magnes, duri substantia ferri,
Igne tumens flagrat, ducit, captatque propinquum
Non agit in distans; torpet....divertere disce.
In carnis pugna non ferrum, dextrave salvat:
In pedibus robur vellens, victoria certa.
Si longe fugias non te fera pessima carpet....
Dum gelida recubas, densa contectus et umbra,
Non te lethalis, fervensque canicula torret....
Illesis manibus flammas tractare potentem
Se putat insanus; flagrat....geminatque querelas:
Quæ vidit Babylon Divina miracula quondam
Fornacis, sperans, temere deceptus anhelat.
Retibus inclusas plantas si stultus habebit
Vim facit... evadit fugiens...victorque recedit...
Non castam laurum; qui stat; palmasque reportat,
Sed fugiens Joseph, constans, sic ocyor Euro.
Non poteris mergi spumosis dissitus undis...
Stupa sitit flammas longe.... si proxima flagrat.

†

Propagare genus prudens hunc illa dicavit
Legis, et imperio; non ut sit spurca voluptas ....
Hoc penitus vitio demersaque terra per orbem
Obruta tota fuit, Caelo labentibus undis.
Ignes, et Sodomae ne quis faedissime omittat.
Undique, bella, faces; caedes; certamina; sanguis
Regna ruunt; urbes; arces! *quae causa? libido;*
Qua patulas fauces ardens expansit avernus.
Callidus insidiis semper fallacibus ambit
Insomnisque minax hostis, qui perdere cunctos
Circumiens cuneis nutantes obsidet arces.
At stupidi, internis praebentes hostibus arma,
Pandimus infensis flagrantia claustra volentes.....
Scribo, nec innocuus, quis se peccasse negabit?
Horruit, et cælum primaevo crimine quassum....
Est hominis fragilis culpis delinquere multis;
Turpiter at sceleri petulans haerere tenacem
Demonis inferni; firma qui mente remansit
Affixus culpae, duxitque superbia vinctum.
Scribo, sed et gemitus fundens, et corde dolenti
Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando,
Transactos annos recolens, et pectus amaro.
Maestitia tundens, solvat sic scandala multa ....
Scribo, nec insultans fratri; sed zelus, et ardor
Urget; et invitum saltem compellere votis.

Ne timor avertat; vel ne petulantia tollat,
Cogitet attenta, maerens, et mente revolvat,
Mitis, et afflatu bonus, et patientior aeque
Quam Dominus fuerit recte quaerentibus illum.
Pristina sicque novis cumulata volumina volvas,
Summa Dei pietas renitebit sparsa per aevum.
Turpia si fuerint, et cocco crimina rubra,
Et numerus numerum pariter superasset arenae,
Candidiora nive et jam jam mundata dealbat....
Prodigus, et natus profugus; tandemque reversus
Invenit amplexus; non jam quae flagra timebat....
Instructos lapides damnandaque adultera Christo
Jam jam vibrantes dextras tremebunda videbat;
Contritae veniam clemens largitur eunti,
Dulciter, et monitam dimittit pace fruentem.
Magdala peccatrix; Latro; pluresque scelesti,
In se conversi numquam subiere repulsam.
Omnibus indulgens, dum vere corde dolentes;
At quoniam clemens, patiens, miserator, et iram
Continet, expectans; tu vis considere nequam?
Et veniam sperans; tunc non petiturus; habere
Horrens, cum visa, terreris imagine mortis?
In puncto credis, quem toto tempore vitae
Sprevisti petulans, renuens mandata superbus
Quaeque sequi; Dominus rectus Judexque tremendus

Impurum extollens caeno super astra reponat?
Jugiter infestusque hostis, tunc quaeris amicum?
Est hominis pravum cor, sese mergere culpis
Multis posse miser; sed non evadere tantum;
Gratia quaeque potens non est nisi multa petenti;
Donatur gratis; nec quis securus habendi.
Mors inopina ferit stupefactos, terqne quaterque;
Nullum dura monet; vel quis patefecit? et unde
Haec tibi tuta quies? nec non tremebundus, et audi
Laetus in interitu, illudens, ridensque manebo
Tunc vindex vestro ......
Pendebant gemini dira de trabe latrones,
Dum Christus moritur, et sacro sanguine tincti
Ambo; non pariter tamen ipsa sorte fruuntur.
Praeveniat morbus mortem; longinqua videtur
Et distans mors; non pauci sic lumina claudunt....
Tarda lues multos languentes saeva peredit;
Atque die tota pallens libitina propinquat:
Excedit somnus: succedit terror averni.
Vanaque fit tandem fallax *confessio sera*:
Nunquam, vel raro pariter *conversio vera*.....
Quot sic larvatos; et jam sacrisque peractis
Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo?
Turmatimque simul petierunt limen averni!
Non te decipias; si te non paenitet ergo,

Neve iram flectis Domini, fletuque precando
Sanus aduc vivens; morientem mittet ad orcum.
Mentis, opumque potens Salamon, spectabilis auro
Obvius est nobis; nivea nec luce curuscans;
Attamen et stygio non est circumdatus igne;
Sicque suae dubios sortis, fatique relinquens:
Nullus in orbe fuit; surget sapientior illo
Mortalis nemo, non abfuit ulla voluptas;
» Felix qui rerum potuit cognoscere causas;
Marmoreum, sanctum, auratum; admirabile templum
Erexitque Deo, venerans, et sacra libavit;
Obtulit et pecudes millenas atque juvencas .....
Justitiae cultor: rigidi servator onesti
Dum vixit! laeto testatur gaudia plausu.
At miser? (orrendum dictu) pietate relicta,
Faemina jam jam fictorum reverentia divum!
Et plures orare deos, idolaque multa
Duxit, et à summi divulsus amore tonantis
Omnia nil reputans, illum non ulla voluptas
Divitiae. fastus; verax sapientia mulcet,
Cunctaque despiciens alte clamare coactus
Vana puto (miserum) sunt omnia, cunctaque vana.
Et crucians animae luctus, maerorque dolentis....
Gaudia non igitur cordi, dat vana voluptas
Divitiae nedum, nec quod sub sole videtur.

Sol animae Deus est, si caste fida manebit;
Exhilarans etiam saevis cruciatibus actam,
Dulcibus et lacrymis quorum dolor ora rigavit
En Deus Omnipotens inhiantia corda creasti
Ad te nostra, bonus, sic irrequieta vagantur
Dum reduci possint in te requiescere flamma.
Eloquar? indignans haeret jam lingua palato!....
Quod genus est atrox, et ineluctabile monstrum
Stultus homo! faede superans silvestria bruta!
Illa fere leges (statuit natura) sagaces
Constanti studio nunquam mutata sequuntur;
Quaeque suam possint speciem, vitamque tueri.
Numen, et aeternum costanti dives amore
Opportuna simul tribuit mandata saluti
Corporis; et mentis; recolas si corde sereno.
Solus homo spernit; quaerens infestus, et hostis
Ipse sibi exitium; clades, parituraque damna;
Quaequesimul perdunt animas, et corpora mactant.
Est hominis fallax, et inextricabile pectus;
Respuit, et vult, nescit quid, pariterque, simulque;
Ingemit et risu, risum factisque retundit...-
Inquirit requiem; requiem fluitansque returbat....
Sanus, et esse cupit; corpusque a culmine sternit....
Aspirat ceelo, culpisque ad tartara tendit......

Jam Deus exurgit vindex; et fulmina mittit;
Multoties tonuit; sustinuitque diu.
Impius in Venerem praeceps, et corde tenaci
Immotus ridet; nec timet ille minas.
Pallida dira fames; squallens, et turpis egestas
Nil terrent caecum, nec colubrina lues.
Mors inopina ferit; non bis; sed saepe frequenter;
Undique bella; faces; nec strepit usque fragor!
Quid faciet, saevo flagrans; (et jure) furore?
Ah! ego ne possim tanta videre mala.

FINIS.